

CAPUT TOLI 7

*In Insignibus Illustriss. Domini Dni C.*

**S T E P H A N I**

de C S A K,

Perpetui terræ Scepusiensis, e-  
jusdemq; Comitatus Supremi  
Comitis. S. C. Rq; Māttis Consilia-  
rij & Camerarij; Tavernicorum Rega-  
lium per Ungariam Magistri &c.  
adumbratum.

Eidemq; Ill<sup>mo</sup> D. Comiti, & Parenti  
colendissimo à Comitibus STE-  
PHANO, & LADISLAO Filijs, Xenij, & Gene-  
thliaci titulo, unâ cum cætera Ill<sup>ma</sup> & præno-  
bili GYMNASII SOCIETATIS JESU Sce-  
pusi Juventute, primâ subscribente *Rhe-  
toricâ*, sub Symbolis, Scenicè  
explicatum.



---

*Ann. 1649.*



INTRODUCTIO 1. Symbolum 1.

**R**omulus Româ conditâ, contra hostiles impetus Urbis muniendæ fossis consulit; quòdque intra fodiendum *Toli* Caput effodissent, proximum Urbis montis verticem, *Capitolium* appellavit, triumphis Regni publicis *Toli* Capite reservato.

Apodosis.

**F**elicitas hæc, Comitatus Scepusiensis *Supremo Comiti Ill. Dn. STEPHANO CSAKI* transcribitur, & quòd cum *Capitulo Scepusiensi* symbolis et plurimum, ab Illinæ *Csaki* familia insignibus, humano inserto *Capite, Capitolium* nuncupatum fuisse, comprobatur.

INTRODUCTIO 2. Symbolum 2.

**M**ors malorum finis omnium cum *Prolomæo R.* etiam ab antiquis creditâ, per demortui *Caput* hominis, unguenta inter *Symposiis* illatû, declaratur.

Apodosis.

Illinæ *Csaki* familia *Caput, Scepusiensi* per *Stephanum* illatum *Capitulo*, finem malorum omnium promovere, & turbatos sedare animos, deprædicatur.

INTRODUCTIO 3. Symbolum 3.

**G**emina bisfrontis Janifacies, veterem dum *Annus* terminat, novas *Anni* novi delicias adpromittit; cumque suam cum prudentia, regalem etiam solertiam à sapientissimo *Toli Capite* superatam deprehendisset, eidem *Regale* munus tribuit, & rigorosum *Naturæ* ferens iudicium, ut inferior condemnatur.

Apodosis.

**E**xhibitus hæc *Tolo* regalis à *Jano* honor, à *Capite* Illinæ *D. Comitis*, in totam Illinorum *Csaki* familiam non indecorè transfertur; utque id iustè omnibus, & singulis conset fieri, eorundem, & *Prudentia* in cognitione præteritorum. & in futurorum maturâ prævisione solertia collaudata, *Regnicolis* etiam imitanda proponitur.

## INTRODUCTIO 4. Symbolum 4.

**O**dore *Toli Capitis*, quo perunctum à Romanis olebat fragrantius, *Gerion* etiam tricipiti à natura donatus vertice, *Ambraciæ*, *Amphilochorumq;* (quas orbis partes incolebat) oblitus, in *Capitolium* attrahitur, cumq; gratiosus post fata etiam *Tolan* suo in *Capite* modulantem audivisset, suam ob insciam confusus, laurea *Toli Capiti* imponit fersa; & quamvis mularum manuum, pedum, oculorumq; juxta *Plutarchum* dictus ideo esset, quòd uno consilio, multorum manus, oculosq; regeret, & fatigaret, se tamen hodie à *Toli* longè superarum *Capitis* consilio, lacrymatur.

### Apodosis.

**Q**uæ prudentia Illm̃i Dñi Comitis *Stephani Csaki*, tum in administrandis Regni officijs, cum verò in dandis ad causarum desperatarum etiam felices, & in expectatos exitus consilij, vel ex *Consiliarij* ipsius nomine facile apparet. *Gerionem* proinde vincit prudentiâ, cui & manus numerosiores suppetunt, & sapientissima æquè, ac utilissima Regno consilia, domi nascuntur.

## INTRODUCTIO 5. Symbolum 5.

**M**athematicum etiam illud, si *Petro Aponensi* credimus, in quindecimo *Geminorum* gradu situm *Scientiarum* omnium septiceps simulacrum, relicto cælo ad *Capitolium* festinat verticem, adeò suaviter *Toli* admodulante *Capite*, pertractum. Sed & suæ oblitum artis, dum artes omnes *Liberales*, quantum typus fuerat, in succursum convocat, certamenq; cum *Toli* in *Capite*, in tentas nimium chordas disrumpit, & omnis *Rhetoricæ* eloquentiæ immemor, in hiulcantes vix erumpens voces, *Toli Capiti*, quòd sufficienter non possit applaudere, eidem de cælo imperatum consignat fulmen, & alia submissiõis indicia coram testatur.

### Apodosis.

**Q**uod *Sidus* hoc per septicipitium suum, rotum id, & longè gloriosius Illm̃i *Caput* Comitis præfiguratur. neq; enim sub gradu illo *Geminorum* in lucem editus

editus, semper *Multifidus* efficitur, neq; omnibus, aut linguarum, aut scientiarum cognitionem consequitur: Sub hoc verò Illmi Comitis *Csaki Capite*, quotquot nascuntur, post enatam ex illo, sanctius quàm cerebro olim Jovis, Palladem, in *Societate* Jesu Gymnasio Scepufij, omnibus Liberalium artium disciplinis apprime imbuuntur; ut non immerito suas & Capite nostro, & Palladio remotiores etiam scientiarum officinâ deferant laureas, & cum summo Illmi Comitis Scepufij Capite *Magnas & summas Scholâs* Scepufij compellere vel inviti audiantur.

INTRODUCTIO 6. Symbolum 6.

Fulminante è Capitolio in ædem Cæsarum Jove, Capita non Cæsarum modo, sed & Deorum statuis unâ deciderunt; funestissimum ultimi, gentis illius Cæsaris *Neronis* excidium, portendendo.

Apodosis.

Quod Neroni, illi Tyranno, fulminata è Capitolio Cæsarum, Deorumq; falsorum *Capita* portendebant; hoc & *Impietatis*, sub Illmi C. Csaki *Capite*, è Capitolio Scepufij commota verborum, doctrinarumq; tonitrua, & Tyranno illi *Perfarum*, ex hoc ipso vibrata vertice fulmina, portendunt; quando ad præsentiam hujus Capitis, tum subversa in hoc orbe nostro *Impietas*, tum etiam prostratus numerosissimus Turcarum exercitus deciduis capitibus spectandus proponitur.

INTRODUCTIO 7. Symbolum 7.

Serapidis quoq; triceps simulacrum, quòd neq; Canino, quòd gerebat *capite*, futurorum spem in ætium deduceret; neq; Leonino satis fortiter præsentia moderaretur; nec deniq; præteritorum, Lupino Capite retineret memoriam, *Toli Capiti*, hæc omnia feliciter possidenti, sese subjecit, & in Romano Capitolio triumphanti, applaudit.

Apodosis.

Triumphanti in Scepufij *Capitolio* Illmi Comitis *Csaki Capiti*, pertinax illa *Impietas*, vel devicta etiam applaudere compellitur.

## INTRODUCTIO 8. Symbolum 8.

**S**ed & triformis illa Dianæ facies, Equino, Canino, Humanoq; monstrosa. Capite, in Capitolium festinat, quodq; & horridiorem se, & deformem admodum deprehendisset, laureato *Toli Capiti*, cultum exhibet submissivis.

### Apodosis.

**T**riumphanti jam, de exteris etiam hostibus Illiño Dñi. *C. Craki*, quos quos sub humana larvati facie Equi nam superbiam, Caninam verò simulabant in pannoniam rabiem. ad *CSAKIANI* Capitis detecti oracula, non Stephanomati modo *STEPHANI*, sed toti adeò *Ungariæ* inviolatam fidelitatem adpromittunt

## INTRODUCTIO 9. Symbolum 9.

**Q**uincuncæps illa ex inferis redux Manassis facies. *Romani Capitolij* frustra videre possit *Caput*; qui enim Rex Hebræorum cum esset, *Esaia* Prophetâ sublato quincuncipem sibi statuam posuerat. qui si verò plura, quàm Prophetæ, qui *Videntes* appellabantur, vidisset, *Supremum* in *Romana Petra Caput* videre non meruit.

### Apodosis,

**C**um superbia conjuncta, illa Manassis tyrannis fuerat; aliam Illiñi Nostri *Comitis STEPHANI CSARI* & rara humilitas, & cum *Prophetis Dei* agendi modesta illa affabilitas, in *Romano Scepusij Capitolio* experitur. qui licet *Supremum Scepusij* sit *Caput*, *Romanum* tamen in *Capitolio Scepusiensi Caput* non contemnit; quin Prophetas illius, non veneratione modò magnâ, sed & demissione summâ *Evangelizantes* exaudit; eos liberalissimâ suâ manu dotatos, ut *Evangelizent* amplius omni *Manasse* sanctior sustentat & defendit. *Gratitudinis Chori*, & devictorum etiam acclamationes hostium subsequuntur.




ALLO

# ALLOQUIUM

Ad Ill<sup>mu</sup>m D. Comitem, Reverendissimum  
Præsulem, cæterosq; A. R. Dños  
Capitulares.

**V**idisti Comes Ill<sup>me</sup> natalis tui primitias, Ill<sup>morum</sup> Majorum Tuorum ceras in ebur candescere, a vita Fortitudinis Tuæ insignia in Imperij Romani triumphum sobolescere vidisti. Sed illa superstitiôsæ antiquitatis erant monumenta, hæc tuæ Comes Illustrissime virtutis mérita, divinitatis simulacra. Tu verò Præsul Reverendissime, ceteriq; illustriores Scepusii nostri vertices, *Capitolium à Toli Capite nuncupatum*, quod olim quâ lectione, quâ auditu didiceratis, hodie confirmatum spectaculo vidistis. Quid enim *Capitolium* Vestrum aliud esse coram asseram, quàm *Pulcherrimum Romani Orbis ornamentum, genuinam Apostolici Vestri Regni iconem, vitam deniq; Strigoniensís Metropolis; excelsoiorem illustrioremq; montem Scepusii, & Capiti non jam Toli, sed Illustrissimi Vestri Comitís, Nobilioribus STEPHANI CSAKI insignibus superextructam in ajetatem?* ut proinde non raro cogitandum SOCIETATIS hæreat Gymnasium, addubitetq; ; priúsne *Capitolium Vestrum delicias inter Scepusij, an Caput, hoc est Insignia Illustrissima CSAKIORUM Familia*, thesauri instár maximi, Monti Vestro fuerint implantata. adeò quippe *Capitolium Vestrum CSAKIANO colludit Capiti*, adeò nomen vestrum cum illius virtutum insignibus concordat. Sed illud accedit etiam, quòd, cum Is Comitatus vestri sit *Comes Supremus*, Illum pro Supremo etiam decoris & fortunarum nostrarum Capite suspicientes revereamur. At quia muros forasse in *Capitolio* vestro necdum e-

rectos, erigendos tamen, & jam circumcinctos, suspicitis, de tanta convenientia rerum, verborumque dubitatis? Repetite verò hic mecum Agesilai Regis illud, qui cum Spartanam Urbem nullis adhuc circumcinctam manibus à quibusdam agrè ferri inaudisset, coacto in unum Civium Capitulo, eos longiore spectandos serie curioso illi oculo exmonstravit. Illud unum, seracitè post veritati ad intelligendum dare percipiens; tum demum velut ahæneo muro Spartam cingendam fortiùs, cum unanimem eum Supremo Urbis Capite, & se inter concordem sensum Civium deprehendisset. Ita Tu Comes Ill<sup>me</sup>, ita *Præsul Reverendissime*, ita vos Ad<sup>m</sup> Reverenda Capitoli nostri Capita, cum *Supremo Romæ Capite* unâ mecum & vos intelconsentitis, ut Pacem colentes æternam sub hoc Illustrissimo CSAKIANI nominis Capite, non contra remotiorum modo impulsus hostium, sed viciniorum etiam jura vestra invadentium assultus quosvis, Vos in pace, *Societatis* vero Jesu Gymnasium in favore vestro, ut fecistis hactenus, possitis tueri, conservare.



❁ O. A. M. D. G. & B<sup>x</sup> M<sup>x</sup>. V. H. ❁

